



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cursus Theologicus

Gormaz, Juan Bautista

Augustae Vindelicorum, 1707

Disputatio 6. De aliis speciebus Voluntarii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-81950](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-81950)

reperiarur, quando quis apponit causam per accidens cum intentione effectus prævisi, vel quando causa prohibita est propter periculum homicidii, nullum est caput, ex quo possit tunc ab irregularitate excusari. Ita Card. de Lugo de justitia, & jure disp. 8. sect. 6. n. 78. & alii, quos affert Leander Tract. 2. de Irreg. disp. 10. q. 82.

190. Fit 1. Non esse Domino voluntarium furtum servi, quando absque intentione furti, relinquit aream apertam, ut de servi fidelitate experimentum capiat; & servus ea occasione furatur. Ratio est, quia illa apertio areæ solum fuit causa per accidens furti non prohibita Domino, nec posita cum intentione furti, ac proinde effectus in illa causa non potuit esse Domino voluntarius. Idem esto de custode vinearum se abscondente, non quidem cum intentione, ut viatores furentur, sed cum intentione capiendi eos, si forte ad furandum ingrediantur. Nec erunt voluntaria fœminæ peccata juvenis, qui eam turpiter desiderat, dum adit Ecclesiam; cum ipsa nequæ intendat ea prava desideria, nequæ aditus illè sit causa per se, sed per accidens turpium desideriorum juvenis. Essent autem fœminæ illi pravi affectus juvenis voluntarii, si ipsa cum eorum intentione adiret, vel si aditus esset illi justè prohibitus, ne ea prava desideria sequerentur.

191. Fit 2. Non esse voluntarium effectum apponenti causam per accidens sine prohibitione, & sine intentione effectus, quamvis ipse habeat complacentiam in effectu. Ratio est, quia, cum complacentia non sit inductiva effectus, sed potius illius existentiam supponat, atque in illum, ut in objectum purè tendat, effectus ratione illius complacentiæ non est affectivè à voluntate, ac proinde nequæ voluntarius. Idem esto de eo, qui absque obligatione justitiæ, & absque intentione effectus omittit interponere suas preces apud judicem, per quas prævidet liberandum reum, qui illis omittis capite damnandus est: unde ille non incurreret irregularitatem. Quinimò, cum irregularitas per

delictum contracta ex homicidio voluntario (non loquimur de irregularitate ex bello iusto, aut ex defectu lenitatis comprehendente ministros justitiæ) supponat peccatum grave, & aliquomodo contra justitiam, docent plures cum Leandro citato excusari etiam à tali irregularitate Christianos remigantes in Turribus Turcarum, eosque, qui ex consilio medici ministrant cibum, vel potum infirmo, vel illum juvant ad sublevandum, aut alia similia faciunt; tum etiam confessarium, qui exhortatur judicem ad suum munus adimplendum. Ratio eorum est, quia, cum istæ actiones non sint peccaminosæ contra justitiam, imò fortasse neque in ulla materia venialiter malæ, non est, unde propter illas incurrat onus irregularitatis, licet ex illis mors alicujus per accidens sequeretur.

Fit 3. Esse voluntarium effectum, v. g. homicidium illi, qui apponit causam per accidens cum intentione effectus, vel quæ prohibita erat ratione periculi, sive ne ex illa sequeretur effectus. Ad hunc casum pertinent plures venditores, qui lege, aut juramento prohibentur aliqua vendere propter speciale periculum, v. g. Pharmacopola tenentur ex juramento præstito non vendere medicamentum ex illis, quæ deserviunt ad abortum, nisi ex præscripto medici, atque ad idem tenentur sub excommunicatione, & aliis pœnis ex præcepto Sixti V. Discrimen autem inter juramentum illud, & hoc præceptum Sixti datur ab aliquibus in eo, quod ex vi juramenti, si adsit præscriptum medici, & nulla adsit ratio positiva ad suspicandum, quod tale medicamentum exigitur ad abortum, potest pharmacopola sine ulteriori diligentia illud vendere: at ratione præcepti requiritur ulterior diligentia, qualis est, ut informatus ab emente judicet nullum esse morale periculum: quod quidem discrimen in aliquibus regionibus ex communi praxi confirmatum ostenditur. Legatur Leander tract. 2. de Irreg. disp. 10. q. 82.

DISPUTATIO VI.

DE ALIIS SPECIEBUS VOLUNTARIÏ.

193. Plura de pura omissione libera pertractant in præfenti auctores, qui eam possibilem judicant. Plures Thomistæ censent cum Gonetto disp. 1. art. 3. §. 3. Non esse voluntariam independentem à præcepto. Alii verò cum Ex. Doct. disp. 1. sect. 5. supponit ejus possibilitatem docent, independentem à præcepto non minùs esse voluntariam, quàm liberam, cum voluntas se exercens liberè purè omittendò, plusquam permissivè se habeat in ordine ad illam omissionem; quandoquidem voluntas hic, & nunc liberè omittens non solum est potens omittere, sed etiam actu ex sua libertate omittens, ac proinde eo modo, quo reverà imputatur, apud

eos Doctores, pura omisso voluntati se habenti liberè, ita etiam voluntarium purè omittivum, imputabitur voluntati liberè se habenti nos autem, qui puram omissionem liberam reputamus chimæram, ut infra constabit, hanc quoque controversiam de suppositione impossibili puræ omissionis liberè prætermittimus, ut ad reliquas voluntarii divisiones perveniamus. Insinuabo breviter vel quæ jam à nobis data sunt supra, vel quæ facili negotio possunt expediti, ut ad voluntarium præsumptum, in quo est major apud auctores difficultas, progrediamur.

SE-

SECTIO I.

De voluntario actuali, habituali, virtuali, morali, & presumpto.

194. Supp. 1. Voluntarium actuale stare in affectu actuali voluntatis, sive explicito, & formali, sive interpretativo, & virtuali, sive in se, sive in causa, de quo hucusque late egimus, proindeque opus non est ad hanc voluntarii divisionem alia superaddere; satis enim sunt ad hæc voluntaria intelligenda, quæ circa illa hucusque tradidimus, tam circa ea, quæ sunt ex ignorantia.

195. Supp. 2. Voluntarium habituale stare in eo, quod volitio præcesserit, & quod per contrarium actum, quo reputatur, quasi non extitisset, retractata non fuerit. Ratio est, quia perseverantia habitualis alicujus volitionis illa est, ratione cujus jure dici potest, voluntatem nunquam contradixisse præviæ suæ amplexioni objecti, aut fugæ, tali actu, quo reputatur, quasi non extitisset: atqui, quando volitio sive fugæ, sive prosecutionis objecti præcessit, & retractata ita non est, verè dici potest voluntatem nunquam contradixisse præviæ suæ fugæ, aut præviæ suæ amplexioni objecti: si autem aliquod ex iis duobus deficiat, eo quod vel volitio nunquam extiterit, vel jam retractata fuerit, retractatione superius exposita, illud verè dici non potest; ergo hæc duo requiruntur, & sufficiunt, ut volitio aliqua physice præterita habitualiter perseveret. Quapropter in dormiente, & amente perseverat habitualiter intentione, quam ante somnum, & amentiam habuerunt, & non retractaverunt, quæ quidem licet non sufficiat ad ministrandum Sacramenta: vel ad agendum aliquid requisitum ad intrinsecum Sacramenti constitutum, sufficit ad præcipuum recipiendum: sic adultus verè baptizatur, dum habet intentionem habitualem, quamvis non habeat actualem, aut virtualem, ut diximus in Tractatu de Sacramentis. Diximus supra retractata non fuerit tali actu, quo reputetur, quasi non extitisset; quia, si aliquid voluntarium simul sit habituale, & morale, non sufficit quivis actus retractativus.

196. Supp. 3. Voluntarium virtuale esse illud, quod actu virtualiter perseverat ratione continuationis in effectibus à prævio voluntario formali descendentibus. Ratio est, quia illud est voluntarium virtuale, quod hæc, & nunc virtutem habet ad operandum acceptum à prævio voluntario formali: sed talem virtutem habere non posset, nisi perseveraret ratione continuationis in effectibus à prævio voluntario formali descendentibus, ut constat ex n. 13. & 146. ergo &c. Videantur ibi dicta, ex quibus facile apparebit, hujus voluntarii virtualis expositio.

197. Supp. 4. Voluntarium morale, prout contradistinctum à virtuali, & purè habituali, stare in effectu prævii voluntarii formalis, qui

quidem effectus auferri non potest, donec tollatur, vel dissolvatur per relaxationem, dispensationem, aut condonationem, sive intrinsecam, sive extrinsecam, aut alio iis simili modo. Explicatur exemplis. Per peccatum acquiritur Deus jus ad puniendum peccatorem, illumque odio habendum, quo in jure inducto à peccato, quod quidem vocatur effectus peccati, perseverat moraliter peccatum præteritum, quamdiu Deus non cedit juri suo, vel jus illud non extinguitur per condonationem, aut gratiam cum illo impossibilem. Pariter vi matrimonii inducitur vinculum indissolubile, quo in vinculo perseverat contractus matrimonii, donec per mortem conjugis vinculum dissolvatur. Similiter, quando promittis rem Petro, Petrus acquirit jus, ut rem illi iradas, si non cedat juri suo, quo in jure manet moraliter promissio. Eodem modo vi legis manent subditi obligati ad illam implendam, ideoque in illa obligatione perseverat moraliter lex, donec obligatio tollatur vel per relaxationem, vel per dissolutionem, & sic de aliis similibus, ut constat in voto.

Supp. 5. Voluntarium præsumptum contraponi expresso: v. g. Petis ab Episcopo licentiam ad audientes confessiones: si Episcopus expressis verbis dicat, volo, ut audies confessiones, vel tuæ petitioni capere annuat, vel licentiâ scripto tradat, vel quovis alio signo positivo externo, expressè manifestet consensum externum, illud dicitur voluntarium expressum Episcopi. Si verò nullum adit signum externum manifestativum consensûs interni, sed solum adit præsumptio talis actualis consensûs, vel si non adit præsumptio actualis consensûs, sit præsumptio de eo, quod Episcopus haberet expressum consensum, si ea licentiâ peteretur, tunc quidem diceretur voluntarium præsumptum Episcopi: atque ex hoc duplici modo præsumendi, est quoque duplex voluntarium præsumptum.

Alterum quidem est voluntarium præsumptum absolutum, alterum verò conditionatum. Absolutum est, quando absolute præsumitur in Superiore defecto adesse actualem consensum: v. g. quando petis aliquam licentiâ à Superiore, præsumitur habere actualem consensum, & defecto illam tibi concedere eo ipso, quod potens facile negaret, ut negare debebat, si concedere nollit, non negat, sed omnino tacet. Pariter si præsentem Episcopo, qui aliunde scit te non habere facultatem ad audiendam confessionem, accedas ad eam audiendam, & ille potens te facile repellere, & non repellat, sed omnino taceat, præsumitur habere actualem consensum, ut saltem audias illam confessionem. Similiter, si in aliqua communitate Religiosi dare soleant sibi ad invicem, vel etiam externis aliqua munuscula monasterii, quam consuetudinem scit Prælati, & potens eam repellere, non repellit, censetur actu tacite consentire.

200. Ratio autem, quare hoc voluntarium absolute præsumptum, prudenter inferat actualem superioris consensum, proindeque in iis, & similibus casibus locum habeat illa regula: *Qui tacet, consentire videtur*, ideo est, quia, ut habet alia regula: *Nemo præsumitur malus, nisi probetur*: atqui Superior, vel Episcopus, vel Praelatus, in casibus supra allatis, aliisque similibus, in quibus tacet, essent mali, si actu non consentiret, quandoquidem si non haberent actualem consensum, vi cuius licita fieret actio inferioris, peccarent tacendo, & non repellendo, cum teheantur repellere, si consentire nolint: ergo ex eo, quod non sint præsumendi mali, nisi probetur, præsumendum est habere actualem voluntatem, qua facultatem illam concedunt.

201. Voluntarium præsumptum *conditionatum*, tunc intervenit, quando non præsumitur actualis consensus absolute, sed præsumitur consensus conditionatus, nimirum, quod Legislator habuisset hunc actualem consensum pro hoc casu, si has præsentis circumstantias prævidisset: vel quod Superior nunc concederet licentiam, si in istis circumstantiis peteretur: sic dicimus, Legislatorem non potuisse, vel saltem noluisse ad aliquem actum obligare propter circumstantias occurrentes, etiamsi alias talis actus sub generalibus verbis legis sit comprehensus, ideoque talis actus factus contra generalem legis tenorem, dicitur interpretative voluntarius Legislatore, quia per epichiam præsumitur, quod non comprehendisset illud sub lege, si has præsentis circumstantias prævidisset. Pariter inquit de Lugo, si religioso visitante magnum quemdam Principem, Princeps ab illo petat librum, vel reliquarium, quod secum habet, traditio illa dicitur interpretative voluntaria Superiori; quia si Superior has circumstantias prævidisset actualem consensum præbuisset ad traditionem.

202. Cæterum, ut optime notat Arriaga disp. 8. de Voluntario sect. 4. & prænotaverat prius Ex. Doct. disp. 1. sect. 4. Tale voluntarium præsumptum conditionatum, non est absolute voluntarium Legislatori, aut Superiori; potest enim occurrere ille casus, vel quando Superior dormit, vel quando Legislator mortuus est; cumque nulum habeant tunc actualem consensum neque directum, neque indirectum, neque in se, neque in alio, quo velint actionem inferioris, vel subditi dici exinde non potest, quod talis actio absolute sit voluntaria Superiori, aut Legislatori. Quapropter dici duntaxat potest negative voluntaria, talis nimirum, quæ prudenter non posset esse positive involuntaria, si Legislator, aut Superior eas circumstantias actu præviderent. Unde totum id, quod requiritur, ut prudenter dubitari non possit, quod hic, & nunc Superior, aut Legislator quoad substantiam rei non essent rationabiliter inviti, si scirent me operari absque expressa licentia, totum hoc requiritur, ut ego ex hoc voluntario conditionate præsumpto possum licite exercere illas actiones, quæ; ut

licite exerceri possint, solum requirunt, quod Superior, aut Legislator non sint rationabiliter inviti. Vide à n. 206.

Exinde illæ actiones, quæ solum sunt malæ, quia prohibita, fieri possunt ex voluntario præsumpto in illis circumstantiis, in quibus prohiberi non possent absque peccato, non solum, quia prohibitio in illis circumstantiis nulla esset, sed etiam, quia nemo præsumendus est malus, nisi probetur: illæ autem actiones, quæ, ut licite, & valide fiant, requirunt actualem, & absolutum consensum, non possunt licite, & valide fieri ex solo voluntario præsumpto. Ideoque voluntarium præsumptum non sufficit ad valorem contractus; cum iste requirit consensum actualem internum externis signis manifestatum. Quapropter si quis nullatenus interne, sed sicut solum externis signis in matrimonium consentiret, matrimonium nullum esset, quantumvis, qui sic consentiret, obligaretur ad contrahendum, sive ad eliciendum verum consensum à potestate ecclesiastica; sicut in contractibus civilibus obligaretur à potestate seculari, qui sicut contraheret, cum contractus verus præsumeretur, donec probaretur fictio.

Illæ autem actiones, quæ non solum sunt licitæ, & invalidæ, quia fiunt invito Domino, sed quia fiunt absque facultate, quæ pollicere debebat à Superiore dimanare, quales sunt actiones jurisdictionis, aliæque similes, fieri nequam possunt licite, & valide ex solo voluntario præsumpto conditionato; quandoquidem ex illo nulla dimanat re ipsa à Superiore facultas. Fieri tamen aliquando posse valide, & licite ex voluntario præsumpto absolute, docent aliqui; quia vel in eo casu descendit à Superiore absolutus consensus, vel in defectu illius contulit Ecclesia pro iis casibus jurisdictionem, ut alii contendunt. Videatur Arriaga disp. 8. de Voluntario sect. 4. & Castrop. de Sacramento Pœnitentiæ tract. 23. disp. unica. pag. 14. Exinde oritur gravis difficultas ad statum religiosum præcipue spectans, an scilicet possit religiosus expendere aliqua accepta ab amico, quin peccet contra votum paupertatis, si ea accipiat, & expendat ex voluntate Superioris conditionate præsumpta; quatenus si ea licentia tunc peteretur, concederetur à Superiore? Pro cuius resolutione fit

SECTIO II.

*Quando liceat Religioso operari absque
Lesione paupertatis ex voluntario
præsumpto.*

Ratio dubitandi est, quia, ut optime ait Castrop. de Lugo disp. 3. de Iustitia, & Jure sect. 7. à num. 127. Votum paupertatis, ut ipso pauperatis nomine satis indicatur, ad hoc tendit, ut religiosus pauper reddatur; arque adeo sicut pauper, qui nihil proprium habet, non potest uti rebus nisi ex voluntate Domini; ita religiosus, qui nihil habet, nec habere potest, non potest uti iis bonis uti, nisi ut pauper, hoc est ex vo-

luntate Prælati, à quo pender, sicut pauper à voluntate divitis. Exinde, cum pauper quando aliquid accipit à divite, sciens, quòd si peteret, concederetur, non committat furtum, neque peccet graviter contra justitiam, neque teneatur ad restitutionem, ut plurimum sententia docet. Quærimus, an in ista hypothefi religiosus, quando aliqua accipit, & expendit; sciens, quòd si licentiam peteret à Prælato, concederetur, licitè tunc operetur; ac proinde non committat peccatum contra paupertatem. Prima sententia videtur affirmare licitum esse; sic videntur docere Navarus, Mendoza, & alii apud Card. de Lugo disp. 21. de Justitia, & Jure sect. 4. n. 16. Secunda verò sententia negat, tunc licitum esse, vel potius explicat gravem æquivocationem, quæ in prima sententia miseri posset. Ita plures cum Sanchez, & Cardin. de Lugo disp. 3. sect. 7. pro cujus explanatione

806. Affero 1. Ut Religiosus licitè operetur, & non peccet contra paupertatem, non sufficit ita expendere aliqua præcisè ex voluntario Superioris præsumptio; ut si licentiam peteret, concederetur. Prob. 1. Si id præcisè sufficeret, certè enervaretur, & dissolveretur religiosa disciplina, ac votum paupertatis esset observantia de solo titulo: sed hoc dici non potest; ergo &c. Prob. maj. Pauca Religiosis occurrunt, ad quæ, si petant facultatem à Prælato, non credant prudenter, & probabiliter ipsos facultatem obtenturos; ac proinde si hæc licentia conditionata sufficeret, nunquam petenda foret licentia; nam vel prudenter, & probabiliter creditur concedenda, vel non? Si non creditur, stultè petitur, quod negandum scitur. Si vero creditur concedenda, jam ex contraria doctrina hæc ipsa credulitas sufficit absque alia petitione licentiæ; ac proinde nunquam opus esset petere licentiam: sed ex eo, quòd nunquam opus esset petere licentiam, dissolveretur disciplina religiosa; votumque paupertatis esset observantia de solo titulo, ut ex terminis patet; ergo &c. Conf. Licet Prælati immediatus credatur quandoque licentiam negaturus, sæpè prudenter credi potest, quòd si peteretur, eam concederet mediatus, vel saltem supremus religionis Prælati, vel saltem Summus Pontifex; ac proinde, si ea sola præsumptio sufficeret, vix, aut ne vix quidem esset obligatio petendi eam licentiam; ergo &c.

807. Prob. 2. Non minùs requiritur ut, subditus non peccet contra paupertatem, quòd Superior non sit rationabiliter invitatus quoad substantiam rei, quàm requiratur, quòd Dominus non sit rationabiliter invitatus quoad substantiam rei, ut pauper, qui rem Domini accipit, non peccet contra justitiam: atqui præcisè præsumptio, quòd Superior, concederet licentiam, si peteretur, nequaquam infert, quòd non sit rationabiliter invitatus quoad substantiam rei non petità licentià; ergo ea præsumptio non sufficit, ut Religiosus non peccet contra votum paupertatis

non petità licentià. Prob. min. Sicut Dominus temporalis attendit ad suam utilitatem, propriumque commodum, sive bonum domus suæ, ita Prælati attendit ad bonum Religionis, regularemque observantiam: ergo sicut Dominus est invitatus quoad substantiam rei, quæ ab illo aufertur, ex eo, quòd privetur utilitate, quam sibi retinere volebat, ita Superior erit invitatus quoad substantiam rei, quando subditus privat Religionem observantiam, quam Superior intendebat, inviolatamque volebat.

208. Conf. 1. Ex eo, quòd subditus licitè posset expendere bona non petità licentià, planè observantia corrueret, ut constat à num. 206. Ac proinde Religiosus privaret Religionem observantiam, quam Superior intendebat, quamque intendere teneretur; atqui præsumi non potest, quòd Superior, non sit rationabiliter invitatus, quando fiunt illæ actiones, quibus corrumpitur in religione observantia, quam juxta religionis statuta Superior intendebat, quamque intendere teneretur; ergo ex eo præcisè, quòd præsumitur, superiorem concessuram licentiam, si peteretur, nequaquam exinde potest inferri, quòd non sit rationabiliter invitatus quoad substantiam rei, non petità licentià. Conf. 2. Non minùs respicit superior observantiam, quàm Dominus temporalis respiciat suam utilitatem: atqui Dominus temporalis ratione utilitatis suæ, est rationabiliter invitatus quoad substantiam rei; ergo ratione observantiæ erit quoque Superior rationabiliter invitatus quoad substantiam rei.

209. Affero 2. Cum Sanchez lib. 7. in Decal. Card. de Lugo, aliisque. Ut Religiosus possit ex licentià præsumpta expendere aliquam rem, quantumvis gravem absque gravi peccato, necesse est agnoverit ex modo expendendi absque licentià petita, non sit superior invitatus quoad substantiam rei: sive, quòd idem est, quòd Superior non sit notabiliter invitatus quoad modum. Prob. 1. Modus operandi absque licentià, ita displicere potest Prælato, ut ratione illius velit retinere jus totum in substantiam rei, & prohibere quantum potest ipsam rei usurpationem, tunc enim ratione modi esset Prælati invitatus quoad substantiam; proindeque subditus, qui tunc rem gravem usurparet absque licentià, graviter peccaret contra paupertatem; quin potius, ut ait Exim. Doct. tom. 3. de Relig. lib. 8. cap. 11. in Religione observanti Prælati sub gravi teneretur, voluntatem illam non habere, qua consentiat, ut licentià non petità, res usurpetur: quandoquidem hoc pertinet ad observantiam rectam, quàm observantiam Prælati omnes, atque ipse Pontifex ex debito sui officii debent fovere. Si verò ratione aliquarum circumstantiarum, Prælati non esset invitatus quoad modum, vel saltem ita leviter, ut ratione modi non vellet retinere jus suum etiam circa rei substantiam, tunc quidem cum substantia acceptionis, & donationis non esset contra voluntatem Prælati, sed solus mo-

us, non apparet, quomodo id sufficiat ad peccatum grave; ergo ut non fiat peccatum grave, necesse est, quod in tali casu Superior ratione modi non sit invitus quoad substantiam.

210. Probat. 2. Si Prælati expresse declararet suam voluntatem, quod nimirum in talibus circumstantiis esset invitus, velleque graviter prohibere ipsam substantiam, non est dubium, quod illa conditionata voluntas, quod nempe concederetur licentia, si peteretur, non sufficeret, ut fatentur ipsi adversarii; ergo in omnium sententia, si res bene perpendatur, voluntas conditionata quoad hunc effectum aliquid aliud addit, nempe quod Prælati non solum daret licentiam, si peteretur, sed quod nunc non habet voluntatem omnino repugnantem, & obligantem graviter, quando licentia non petitur; ita nempe, ut licet ille modus operandi displiceat, at non taliter ut propter illas circumstantias, velit substantiam illam graviter illicitam reddere; sed exinde planè fit, quod non adsit peccatum grave contra paupertatem licentiâ non petita, quando Superior ratione modi non est invitus quoad substantiam, atque quod totum hoc requiratur, ut subditus tunc non peccet; ergo &c.

211. Conf. Licet subditus credat Superiorem concessurum dispensationem præcepti, si petat, non potest sine peccato gravi agere contra præceptum, quando scit Superiorem velle obligare graviter ad non operandum sine dispensatione; ergo peccabit etiam graviter contra paupertatis votum, quando scit Prælatum velle obligare graviter ad non disponendum sine licentiâ: sed hoc non ob aliam rationem verum est, nisi quia tunc Superior ratione modi esset invitus quoad substantiam; ergo ut quis graviter non peccet contra paupertatem non petita licentiâ; necesse est, ut ratione modi non sit Superior invitus quoad substantiam. Ex his detecta manet æquivocatio, quæ in hac materia posset occurrere, quæ detecta facile potest utraq; sententia conciliari: simulque ex illa possunt deduci varii casus particulares videndi apud Card. de Lugo loco supra citato.

212. Objic. 1. contra primam assertionem: ut aliquis excusetur à restitutione regulariter, sufficit, quod si id, quod accepit, petiisset à Domino, Dominus concessisset, vel condonasset; ergo etiam, ut quis excusetur à peccato gravi contra votum paupertatis regulariter, sufficit, quod si à Prælato licentiâ peteret, concederetur. Resp. Omisso ant. neg. conseq. Quia Dominus temporalis, ut constat ex dictis, solum attendit ad suam utilitatem, & bonum domus suæ, quare, si ab hoc non retardatur, ut sit invitus propter substantiam, regulariter præsumitur, quod displicentia orta ex modo, non afferat displicentiam gravem circa substantiam; ideoque regulariter censentur excusati ab obligatione restituendi illi, quibus Dominus concederet, vel condonaret, si peterent. At verò Prælati non tam attendit ad suam utilita-

tem, quàm ad bonum religionis, & observantiam regularem, cui non tam adversatur substantia rei, quæ usurpatur, vel donatur; quam modus usurpandi absque recurso ad Superiorem, ut constat à num. 206. Ac proinde quoad hoc paritatis ratio nulla est.

Objic. 2. contra secundam assertionem. Licentia solum interpretativa secundum statum conditionalem, quatenus nempe daretur, si peteretur, non sufficit ad accipiendam, ad alienandam rem alterius eo incio; ergo neque deservire potest in ullo casu, ut ex illa licentiâ conditionata Prælati Religiosus non peccet graviter contra paupertatem. Prob. ant. Illa licentia conditionata non sufficit ad audiendam confessionem, vel ad assistendum matrimonio, & sic de aliis similibus: etenim conditionalis licentia non est licentia, sed esset, si peteretur; ergo neque sufficit ad accipiendam, & alienandam rem alterius eo incio. Hoc argumentum non procedit juxta hypothesin, de qua agimus. Supponimus enim ad contrarium, sufficere eam licentiâ conditionatam, ut pauper deobligetur ad restitutionem: sub qua hypothesi inquirimus, utrum idem dicendum sit de voto paupertatis, ut notavi num. 205. Nihilominus juxta ea principia factis communia, resp. neg. ant. ad probationem conc. ant. & neg. conseq. Quia ad Sacramenta, eorumque valorem, ad jurisdictionem, aliâque similia, requiritur voluntas positiva antecedens, sive Prælati immediati, sive Ecclesiæ pro aliquibus circumstantiis jurisdictionem concedentis: quandoquidem sic, & non aliter est causa effectuum, ad quorum valorem debet præcedere. At verò ad excusandam malitiam furti, non requiritur voluntas positiva Domini, necessaria ad causandos aliquos effectus: sed sufficit, quod Dominus ex tali actione, quantumvis sibi cognita, non sit positivè invitus. Hoc autem tollitur, quoniam Dominus sic est dispositus erga te, ut si peteres tibi rem, certo daret. Jam enim non habet repugnantiam, seu voluntatem absolutam, quæ velit, te rem illam v.g. librum non usurpare. Videatur Card. de Lugo disp. 21. de Just. & Jur. sect. 4. à num. 45.

Ratio ulterior est, quia, ut bene notavi Castrop. tract. 23. de Sacramento Pen. p. 14. & latè id diximus in Tract. de Sacramento, quando Jurisdictio requiritur ad valorem Sacramenti, Minister operatur nomine Christi; cumque ad operandum nomine alterius, prærequiratur actus positivus, exinde fit, quod ad ministrandum Sacramentum Pœnitentiæ, prærequiratur in Superiore actus positivus jurisdictionem concedens. Idem est de Sacramento matrimonii; quandoquidem actus ille assistentiæ Parochi, est etiam actus jurisdictionis: quando verò Jurisdictio non requiritur ad valorem, sed ad licitum usum, ut patet in Sacramento Baptismi, Confirmationis, extreme Unctionis, Ordinis, & Eucharistiæ, opus

non est ut jurisdictione antecedit, sed sufficit, si præsumatur rectè consensus illius, qui jurisdictionem concedere poterat; dummodo lege positiva hic operandi modus non fuerit prohibitus, nam in eo casu, de quo loquimur,

illa præsumptio excusaret à malitia, quæ in ejusmodi actu poterat intervenire: ex quo assertio nostra potius roboratur.

Vide à n. 203.

* * *

DISPUTATIO VII.

DE VOLUNTARIO MIXTO.

215. **V**oluntarium mixtum dicitur illud objectum, circa quod tendit voluntas cum volitione simul, & nolitione, ita ut si nolitio sit efficax, & volitio inefficax, dicatur simpliciter involuntarium, & secundum quid voluntarium. Si verò volitio, à qua objectum procedit, sit efficax, nolitio verò inefficax, erit simpliciter voluntarium, & involuntarium secundum quid, juxta dicta n. 31. & 36. Causæ, ex quibus objectum simpliciter voluntarium, solet esse secundum quid involuntarium, quatuor communiter assignantur: nempe vis, metus, concupiscentia, & ignorantia, ex dictis num. 46. Ibiq; etiam num. 47. notavimus, posse etiam ex iis causis procedere purum voluntarium; nec teneri voluntatem nolitionem elicere, qua fiat voluntarium mixtum; quando nimirum voluntas operatur juxta conformitatem cum illis motivis, & non juxta deformitatem: sic ex motivo meritis in casu apposito eo num. 47. operatur ægiotus omnino voluntariè: sic etiam ex concupiscentia operatur omnino voluntariè ille, qui nullum contrarium actum elicit illi motivo; quod idem est de vi exteriori adveniente, & ignorantia, si juxta conformitatem cum illis motivis aliquis pure operetur. Cæterum, quia communiter solent admisceri actus contrarii sive deliberati, sive indeliberati, atque à communiter contingebus habere soleant originem plura proloquia, exinde apud Theologos dici solet, metum, vim, ignorantiam, & concupiscentiam causare involuntarium saltem secundum quid. Verum, ut hæc omnia clariora fiant, sit

SECTIO I.

Quomodo vis, metus, ignorantia, & concupiscentia causent involuntarium?

216. **A**spero 1. cum communi sententia: actiones liberæ ex allatis motivis voluntariè factæ aliquando sunt secundum quid involuntariæ ex perfectione: aliquando verò ex imperfectione cognitionis: quo in sensu causant voluntarium mixtum. Prob. 1. Sæpè voluntas timet, & renuit actionem aliquam liberam elicere, quia non repræsentatur in objecto tanta bonitas, quæ in illius amplexione rationem timendi, atque fugiendi non relinquat, ut experientia constat: aliquando verò cognitio ita perfecta est, ut cognoscatur objectum concu-

piscibile, reverà esse magnum malum, ex quo voluntas licet inefficaciter, illud refugit, at homo ex sua fragilitate, & passione objectum illud amplectitur: sed in eo stat, quod illa motiva causent voluntarium secundum quid, sive voluntarium mixtum, aliquando ex perfectione, aliquando verò ex imperfectione cognitionis; ergo &c.

217. **Prob. 2.** Voluntas ex eo tendit involuntariè in objectum, sive ex eo objectum est involuntarium secundum quid, quia objectum ipsi repræsentatur malum: atqui, quod repræsentetur malum, provenit aliquando ex imperfectione cognitionis, ut contingere solet, quando committit peccatum: aliquando verò provenit ex perfectione cognitionis, ut contingit, quando cognoscendò rectè rem delectabilem non prohibitam. quæ ex se voluntatem allucit, & ad aliquem affectum inducit; voluntas verò ex amore mortificationis eam liberè respuit; quod suo modo contingit, quando objectum est simpliciter involuntarium, & secundum quid voluntarium, atque cum actu opposito constituit voluntarium; ergo ex iis motivis voluntarium mixtum aliquando habetur ex perfectione, & aliquando ex imperfectione cognitionis.

218. **Asser. 2.** Quando voluntas operatur simpliciter juxta ea motiva, & contra illa secundum quid, non æquè se habet ad causandum voluntarium. Prob. 1. Concupiscentiæ motivum per se, sive immediatè, & ratione sui tendit ad bonum propositum ut bonum, causatque effectum suavem, & dulcem, ut experientia constat: metus verò sæpè sæpius proponit objectum ut magnum malum, quod efficaciter amplecti solet voluntas, vel ad majus malum vitandum, vel ad rectè honestèq; operandum; ideoq; non causat effectum adeò suavem, ac concupiscentia: quod etiam sæpè contingit in motivis ignorantia, & coactionis; atqui ex eo, quod voluntas ita diversè operetur ex illis motivis, non æquè se habet ad causandum voluntarium; ergo &c. Prob. min. Objectum concupiscentiæ, eo quod ita proponatur, non solum apparet ut bonum, sed etiam ut delectabile, quo non ita ex necessitate apparent alia motiva, quæ sæpè sæpius apparent valde ardua, eaque de causa voluntas non propter delectabilitatem, sed pure ad fugiendum majus malum, vel ad se conformandum cum divina lege complectitur illa: sed in hoc stat, quod non æquè causent voluntarium; ergo &c.

Prob. 2.